



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Decimis. Consilium CCCCXLII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

esse aut eo loco, quo ut perpetuo esset ex voluntate patrisfamilias destinatum non est, minus esse dicitur, per elegantem text. l. *Quasitum in prin. l. si ita legatum De leg. 3. & utrobique Albericus adferens exempla in hanc rem satis accommodata.* Et proinde cum oves dicti Ioannis, destinatum suum locum habeant in colonia, non censetur verè stabulum habere in dicto castro, in quo tantum ad tempus, donec scilicet ovile dictæ colonie collapsum reficiatur, ut sint, à Ioanne Cabaret destinatum & constitutum est. At, inquit, longitudo temporis biennij vel longioris, quo oves ibi stabulatae sunt, facit ut verosimiliter eo animo ibi stabulatae à Ioanne & eius opilione fuerint, ut perpetuo ibi essent: quod per se quidem verum esset, si aliud non foret, quod aliam destinationem patrisfamilias argueret. Nam causa cur ibi noctu receptæ sint, id non admittit, hoc est necessitas, quæ propter ovile in dicta colonia situm, vetustate vel antiquitate aut negligentia collapsum, cecigit Ioannem in castrum vel alium locum oves suas noctu collocare: ea enim argumentum adfert, eum id facturum non fuisse, si ovile integrum fuisset. ¹³ Necessitas enim semper voluntatem contrariam arguit, l. *De eo quod met. caus.* Deinde precaria concessio domini intervenientis (quam etiam probant testes intervenientis) ut ibi stabulari sineret, facit, ut Ioannes & Georgius de perpetuitate stabuli cogitare non potuerint, cum precarium ad nutum sit revocabile, l. 1. & 2. *De precario*; quamquam alioqui non semper longitudo temporis sola inducat destinationem loci mutandi, vel aliquo loco manendi, d. §. *quasitum, l. Lege Cornelia §. si tamem de iur. iur.* Postremo quod in dicto castro non fuerit locus aliquis ad oves recipiendas paratus, sed tantum stabulum equinum; ita ut quando cumque adveniente Domino castri (qui alio loco domicilium magis fovet) cedere debeant oves prædictæ, Animus igitur patrisfamilias solius inspicendus est sive destinatio, l. *Urbana De verb. signif. l. Servus urbanus De leg. 3. l. Quod in rerum §. si quis post De legat. 1.* Rursus si dicas fraudem in eo versari, quod Ioannes & Georgius ibi constituisse oves suas præsumantur, quo decimarum præstationem effugerent: hoc est, ut neque Ecclesie de Bye, quod ibi non stabulentur; neque Ecclesie de Gravio, quod castrum immunitatem habeat, harum ovium decimas præstarent; dupliciter respondemus. Primò, eam fraudem non præsumi, nec aliquibus indicijis satis probari, l. *dolum c. De dolo*; sed satis multa esse quæ contrarium arguant, & à Ioanne, & eius opilione, dolo malo nihil factum esse satis testentur: puta quod casu ibi sint stabulatae oves, propter ovile in colonia collapsum; quod nemo sanæ mentis diceret ex facto Ioannis corruisse, quo oves in arcem seu castrum agerentur ac stabularentur: ita enim fieret ut exigui lucri gratia, multò maius damnum sentiret: nemo autem suâ voluntate præsumitur res suas perdere, aut malum sibi accersere velle, l. *cum de indebito De probat.* Deinde necessitas supradicti doli præsumptionem omnimò diluit, l. *Qui autem §. apud Labeonem Quæ in fraud. creditor. Tertio*, propter vicinitatem loci exiguumque intervallum, quod intercedit inter coloniam & castrum; ut probabi-

Conf. Wamelf. Tom. II

le & verisimile sit Ioannem tunc cum in castrum cogeret oves suas commoditatis suæ tantum causâ: hoc est, ne longius abire cogeretur, neve cum maiore molestia, longiore loco ex sua colonia stabulum ferre cogeretur, minime autem fraudandi quemquam id fecisse. Quanquam non negaverim, commoditatem loci sæpe præstare occasionem delinquendi, tunc cum alia desunt, quæ huiusmodi præsumptionem depellunt: veluti hic Ioannes, cum integrum ovile haberet, suas oves abegit in castrum, facile admitterem doli & fraudis conjecturam. ¹⁵ S. d. hic substatimus, dicto doli veri & fraudis probationem nihil obesse posse in hac causa agentibus: nam hic doli & fraudis, quæ versantur in eo, ut per translationem & mutationem stabuli & pernoctationis ovium, colonus non præstet decimas, non tendit in perniciem dicti Monasterij, quod in loco de Bye nullas habet decimas; sed in damnum & detrimentum Ecclesie de Bye, seu eorum ad quos decimæ territorij de Bye, pertinent; in quo territorio pernoctare & stabulari oves solebant. Id autem manifestum est, quod ut doli ei tantum nocet, qui eum admisit, l. *Quid debitor De bu. quæ in fraud. creditor.* ita nec dolum vindicare debeat, vel propter dolum agere alius quam cui is factus est, l. *Alienus circumventio De reg. iur. l. Item si in exceptione §. radius De eo quod met. causa c. c.* Ex iure enim suo quisque (ut dixi) agit & defendit, & non alieno, l. 1. *Si pars hered. petatur*; satisque sit, quod oves in castrum actæ & ibi collocatae sint, sine fraude ulla Monasterij; ut rectè dicere possint Agentes, si dolum admisimus, eum tibi non admisimus, l. *Loc. corpus §. competit. Si servit. vindic.* Quod si in doli allegatione perseverabunt Rei, in eis rectè obijci poterit, dolo malo eos facere, qui ex dolo alij facto cum aliena iacturâ locupletari desiderant; & ex eo, quod perfide gestu n est, ipsos non rectè actionem consequi, l. *Apud tulum §. quasitum De doli mali except.* maxime quod restituere deberent alij, hoc est Ecclesie de Bye, quod sic ex dolo & fraude consequerentur, l. *Dolo facit De dolo malo, l. Dolo de reg. iur.*

De Decimis.

SUMMARIUM.

Decimarum immunitas.

1. Principij confessionis narrativa pro donatione & callatione est.
2. Confessio advocati nocet, & quomodo revocari possit.
3. Decima debetur ex cuiuscumque generis fundo.
4. Decimarum immunitas fundi unus, non arguit immunitatem alterius.
5. Decimarum immunitas quando & quomodo præstatione acquiritur.
6. Decima debetur ex fundo divitiis adificijs ad culturam redacto.
7. Decima debetur etiam ex fundis Ecclesiæ.
8. 13. Decimarum transactionem esse permissam.
9. Testes quando de auditu alieno, vel de fama probent.
10. Ex episcopi potestate.
11. Instrumenti amissi series quo modo per testes probetur.
12. Testis qui similem sustinet licentiam, pro qua deponit idoneus non est.

14. Hortus holitorius & vinea an urbanum, an rusticum pradium censetur.
 15. Exemplum documenti quomodo & quando probet.
 16. Decima nova qua intelligantur prohibita per constitutionem Caroli Quinti Imperatoris.
 17. Decima novales qua & cui cedant.

CONSILIVM CCCCXLII.

DE intentione Venerabilium Dominorum Decani, & Capituli collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Lovanienfis, huius causæ Actorum, adversus Ioannem Snocekx aliàs Poelmans, Reum in hac causâ petitarum decimarum sufficienter constat. * Quippe ex antiquo instrumento in actis registrato, & per Reum recognito constat, quod quondam Godefridus Dux Brabantie in anno 1140. per suas literas confessus sit, & omnibus notum fecerit, quod omnes decimæ intra allodium Oppidi Lovanienfis tam minutæ, quam maiores infra curtes dicti Oppidi crescentes, specialiter pertineant ad dictæ Ecclesiæ præbendas: quæ confessio & notificatio pro donatione & plena collatione accipienda est, l. Censualis & ibi Bald. C. De donat. Guido Papa decis. 272. Steph. Bertrandi consil. 145. Biamsi hortus vol. 7. Quam donationem Ioanna Ducissa Brabantie in anno 1399. confirmando extendit etiam ad agros seu fundos extra muros Oppidi Lovanienfis, infra ejus libertatem sitos; easdem decimas de novo eidem Ecclesiæ donando. Quas donationes deinde in anno 1441. confirmavit & ratificavit Philippus Dux Burgundiæ & Brabantie: sic ut huius causæ Actoribus ad plenitudinem donationis omnium decimarum intra præscriptos terminos nihil desiderari possit. Quam plenitudinem & universitatem huiusmodi juris decimandi plurimum adjuvant testimonium, quos Reus in hac causâ produxit, apertissima testimonia: qui tredecim producti omnes uno ore, exceptis tribus, (qui se de ea re nihil scire dicunt) testificantur, se non scire quemquam alium, qui intra muros dicti Oppidi iusaliquod decimandi habeat, præter dictos Actores; nisi in certâ quadam parvâ parte Ecclesiæ Plebanum sive Pastorem. Vnde indubitatè percipitur, jus universale decimandi intra dictos terminos ad Actores pertinere. Cum autem omnis homo fidelis teneatur de quibuscumque suis agris seu fundis decimas Ecclesiæ solvere, c. Ex transmissa, c. Non est De decimis; nec pro parte Rei dicatur aut proponatur, quod de seu ex fundis, de quibus in hac causa quæstio est, ulli decimas solverit, aut quod alijsolvere teneatur; necessariò inferitur Actoribus huius causæ ex his duobus fundis decimas deberi, maxime quia Reus geminatâ confessione apertè confiteatur, hos duos fundos sitos esse intra dicti Oppidi muros, & sic sub Actorum decimatio.

Quo Actorum jure sic constituto, & ex propriâ Rei confessione probato, quod Reus sit possessor seu detentor duorum horum fundorum, & ex illis in mense anni octuagesimi quarti (de quo anno in hac causa decimæ petuntur) fructus percepit; neque Actoribus, neque ulli aliorum solitis decimis persolutis; rectè inferitur Actorum conclusio in hac causa proposita, de faciendâ per Venerabilem D. Iudicem declaratione, jus de-

cimandi Actoribus ex his duobus fundis deberi, & de Reo condemnando ad illarum solutionem pro dicto anno octuagesimo quinto. Verum quidem est, quod Reus in primo huiusmodi, seu litis termino confessus sit de altero dumtaxat fundo; negatâ possessione & defructuatione alterius: sed geminata postea subsequens aperta, dilucidâque confessio, de possessione & defructuatione utriusque, hanc negationem diluit, & in effectum revocat. Contra quam geminatam confessionem nihil facit postea ex intervallo octo mensium per dictum Reum facta negatio de avectis seu perceptis ex altero fundo fructibus. Nam et si Advocati seu Procuratoris confessio statim, & ex brevi temporis spacio revocari possit, etiam non allegato aut probato, quod sit erronea, l. fin. C. De errore advoc. Gloss. in c. Olim in verb. non revocata De consil. De etate §. Celsus De interrogat. aut. ex tam longo tamen intervallo revocari non potest, nisi allegato & probato errore, Gloss. in verb. Iusta causa in c. fin. De iur. lib. 6. potissimum cum facta est deliberatio, hoc est post terminum ad respondendum à Iudice præfixum, Gloss. in c. Ex literis in verb. admonita De divor. Lud. Rom. consil. 346. In hac causa Basilien. nu. 9. & consil. 391. Ut proposita, Ruinus consil. 10. Super eoru. 12. & seq. vol. 3. Cum igitur prima confessio ad libellum Actorum sit facta, præfixo illi per D. Officialem termino ad feriam quartam post festum D. Michaelis, illoque, seu ejus Procuratore non instante, audientia desuper absoluta fuerit, & de novo iterum statutus terminus sub pœna excommunicationis ad novem dies, & ante illorum lapsum Procurator & Advocatus Rei hanc confessionem fecerint; nulla est dubitatio, quin cum summa deliberatione sit facta hæc prior confessio: ut etiam simili modo facta invenitur altera sequens ad articulos Actorum facta confessio post statutum respondendi terminum, & absolutam semel audientiam. Ita ut hæc confessio non tantum deliberatione subnixâ, verum etiam geminatione, & reiteratione confirmata, prætextu erroris non possit ceteri revocabilis, l. 1. vers. transactum C. De plus pet. Lud. Rom. d. consil. 346. nu. 9. & d. consil. 391. nu. 6. eoque minus, quod res non sit integra, & sine captione adversarij error revocari non possit, d. §. Celsus. Nam vix est ut in proposito confessionis revocatio fieri possit, sine captione & læsione Actorum; tum quod sit facta post litem, etiam super illa ut diximus, contestatam; imò, ut supra dictum est, in ipsa litis contestatione, post renuntiationem probationum ex parte Actorum factam; à qua renuntiatione Actores abstinent, & onus probandi defructuatione utriusque designati fundi in se suscepissent, si Reus respondendo ad articulos ad finem faciendæ probationis in eventum negationis exhibitos, allegaram hanc defructuationem non esset apertè confessus. Ita ut in hac confessionis revocatione sit captata, & multum affectata captio adversus Actores; præsertim quia eadem revocatio sit facta extrajudicialiter, apud actus, in absentia Actorum, ipsis aut eorum Syndico seu Procuratore, ad videndum hanc revocationem fieri non citatis; & quidem post jam ex aliqua parte per dictum Reum productos & examinatos testes; dictâ revocatione præfatis Actoribus.

Actoribus minimè insinuatà, nec in actis suo debito loco, & ordine, sed extra illum in margine annotatà. Et præsupposito, quod suo tempore & ordine facta esset hæc revocatio; non est tamen per D. Iudicem admittenda, & nequidem admitti petita; nullà etiam factà vel oblatà probatione erroris: quæ probatio omninò est necessaria tunc, cum per Advocatum vel Procuratorem facta confessio non in continenti, sed intervallo, præsertim longiore, revocatur, c. cum causam & ibi Gloss. in verb. eadem die De appell. c. fin. De confess. Lud. Rom. loc. sup. cit.

Cum igitur Reus faciendo hanc clandestinam & extraordinariam revocationem sic geminatà & reiteratà confessionis allegaverit quidem illam erroneam, seu per errorem & inadvertentiam esse factam; sed erroris causas nullas proposuerit, nec illas ad probandum admitti obtinuerit, vel obtulerit, multò minùs aliquo probationis genere verificaverit: nihil omninò tribuendum est dictæ revocationi, sed planè insistentem dictis duabus tam manifestis confessionibus.

Quibus in effectum postea quoque accessit tertia per positivam allegationem Rei postea in exhibitis pro ejus parte peremptorialibus articulis, saltem implicitè, quatenus in illis nusquam hoc allegavit, quod ex altero tantum fundo fructus perceperit, & nullos ex altero; sed tacitè præsupponendo perceptionem seu defractionem ex utroque, objectione immunitatis, ex præscriptione se dumtaxat adversus Actorum petitionem, quoad utrumque fundum descenderit: ita ut præter prædictum effectum geminationis, extet sufficiens approbatio antea factæ confessionis per sequentem hanc allegationem seu objectionem immunitatis: quæ sequens approbatio potestatem revocationis omninò impedit, Phil. Franc. in d. c. Cum causam post princ. ver. sed dubitatur.

Sic itaque probato universali jure Actorum ad decimas; probatà Rei possessione & defractione; plenissimè fundata descendi debet Actorum in hac causa intentio: ideoque inquirendum dumtaxat, an ullà iustà exceptione Reus in hac causa Actorum hanc intentionem peremerit? Laborat sanè admodum Reus illam subvertere & perimere, allegatione & objectione illius, non quòd ad Actores jus decimandi intra muros Oppidi Lovaniensis non pertineat; nam pertinere satis apertè confessus est; sed cum restrictiore, quæ universalitatem juris decimandi omninò excludat, confitendo Actores jus decimandi habere in quibusdam dumtaxat, non in omnibus fundis intra dictos muros sitis. Sed hæc sic restricta, & limitata confessio, convellitur per ea, quibus jam paulò ante diximus, Actorum intentionem esse probatam; per dictarum scilicet donationum & confirmationis illarum antiquum illud instrumentum; & per testimonia testium, quos ipse Reus in hac causa produxit; ex quibus decem concordì voce testificantur in Oppido Lovaniensi neminem alium jus decimandi habere præter dictæ Ecclesiæ Canonicos, & Plebanum. Quæ quamvis negativa in aspectu, re ipsa tamen & juris potestate affirmativa est assertio, ad solos Actores & Plebanum pertinere jus decimandi intra dictos muros. * Cum enim hoc jus decimandi Actoribus

Conf. Wamef. Tom. II.

bus sic concessum, & tam longo tempore possessum & exercitum per totum Oppidum Lovaniense sit diffusum: nulla potest esse dubitatio, quod in hi quoque designati duo fundi sit intra illius terminos, eidem juri sint subiecti: argumento ab extremis ducto, quo convincitur, omnia & singula, quæ in confinio seu eadem regione sita sunt, eandem sapere & habere naturam, l. Arbor quæ in confinio Com. dividendo l. Si verò §. interdum vers. quod si de his qui decem. vel essud. Castr. & alij in l. 1. de acquir. poss. Socin. consil. 127. Visi capitulo nu. 2. vol. 1. hoc est in proposito, hos duos fundos dictæ Actorum decimationi esse subiectos; saltem tantisper, donec Reus plenè probaverit illi subiectos non esse; vel quia alij inde debeantur decimæ; vel quòd fundi hi à decimarum præstatione sint liberi & immunes: stante in contrarium notorià juris dispositione, quod omnes & cujuscunque generis fundi, ex quibus aliqui fructus proveniunt, decimis præstandis Ecclesiæ sint obnoxij, c. Non est, c. Pastoralis cap. Ex transmissa c. Commissum de decimis; quamdiu ex adverso non probatur illorum immunitas.

Ad quam libertatem & immunitatem in his duobus fundis asserendam Reus allegavit, & per omnes ferè testes probavit, multos esse intra prædictos muros Oppidi Lovaniensis agros & fundos, ex quibus Actores decimas non percipiunt, & qui à decimis sunt immunes. Sed cum hujusmodi allegatio non sit exclusiva juris hujus universalis, quod Actores habent, sed tantum restrictiva ad quosdam per testes Rei specificatos fundos, fit, ut inde non possit duci concludens, aut probabile argumentum immunitatis & libertatis hujus ad alios, neque per Reum, neque per dictos testes, specificatos fundos. Et si enim à genere ad speciem, non tamen perinde conversà ratione, ab una aut aliquot speciebus ad totum genus, Præses in loco de specie ad genus; neque ab una specie, ad alteram rectè ducitur argumentum: ut posita unà specie, altera quoque posita censeatur, l. Si quid earum §. interemptum De legat. 3. Ut igitur uni personæ aut fundo concessa vel præscriptione acquisita immunitas, vicino non prodest, nec ad illum extenditur, l. Semper in civitate De iure immunit. l. 3. §. 1. De censibus, c. Sanè De privileg. c. Statuto in princ. de decimis lib. 6. & ibi Domine. nu. 2. quia immunitas à communibus oneribus est stricti juris; ideoque restringenda, non amplianda, l. 1. in fine De iure immunit. c. Porro De privileg. ita in proposito quorundam fundorum in specie immunitas & libertas non extenditur ad alios etiam proximè vicinos; sive ex privilegio Papæ competat hæc libertas, cap. Cum Capella c. Ex ore de privileg. sive ex consuetudine, Gloss. in c. Auditis in verb. interruptione de prescript. cap. Tua in fine c. cum in tua De decimis. Quippe non plus censetur præscriptione acquisitum; quàm fuit eo jure possessum, l. Quod meo §. ult. de acq. poss. d. c. Auditis, Parisius consil. 25. Fr. mo aspectu nu. 26. & consil. 114. Homines S. Joannis nu. 25. vol. 1. Nisi itaque pro parte Rei in proposito inveniatur probatum, quòd hi duo fundi sint ex privilegio, consuetudine, vel præscriptione à præstatione decimarum immunes; nihil potest Reo adversus Actorum intentionem suffragari, Ec 4 quod

quod aliquot etiam plures fundi probentur aut dicantur esse liberi, seu immunes à præstandis decimis dictæ Ecclesiæ. Quamvis exactè & scrupulosè examinando testimonia testium, multa in mediū adferri possent pro demonstratione, quòd nec in illis fundis aliquod jus præscriptionis constitui possit: à qua operosiore demonstratione, tamquam ad rem propositam inutili, aut saltem non necessaria, abstinemus; contenti hoc demonstrare, quòd hi duo fundi hanc immunitatem non habeant, neque ex privilegio, quale Reus nullo modo profert, imò nec allegat, neque ex præscriptione aliqua. Nam diligenter revolvendo & executendo testimonia super undecimo articulo, quo continetur allegatio, quòd in his fundis ultra hominum memoriam creverint fructus decimabiles, & quòd de illis infra hominum memoriam Actores non receperint decimas, non invenitur in illis huiusmodi allegationis sufficiens probatio. Nam in primis quod attinet ad fundum, qui situs est apud cœmeterium Ecclesiæ Sancti Quintini, pertinet ad altare Sanctæ Catharinæ in eadem Ecclesia, per Reum conductus; quotquot deponunt de illo testes, hoc tantum dicunt, quòd fuerit olim domus, & ad illam hortus conclusus; in quo præter vineam in ea constitutam, nisi holera, pisa, fabæ, & similes alij culinarij fructus, ex quibus de generali & notoria consuetudine decimæ in territorio Lovanienfi colligi non solent, non creverint. Vt mirum non sit, si testes ex illo fundo decimas exigi aut præstari non viderint; quia id contigerit non ex defectu juris Actorum, sed ex defectu materiæ; hoc est ex eo, quòd decimabiles fructus in eo fundo nati non fuerint, quamdiu dicta domus in eo fundo stetit. Quod ipsum quoque de altero fundo satis aperte testificantur plerique eorundem testium, dicentes illum fundum aliquando fuisse hortum conclusum; & in eo lupulos aliasque culinaras herbas crevisse: quæ, ut idem, & alij plures testes dicunt, & Actores non negant, ex obtinente consuetudine, imò & jure communi, ut plerique volunt, *Soto de iust. & iure lib. 9. quest. 4. art. 2. vers. ad primum*, in his regionibus sunt à decimatione exemptæ. Est ergo nemo testium sit, qui dicat se vidisse, quòd ex his duobus fundis decimæ Actoribus, seu eorum prædecessoribus, fuerint solutæ: nemo tamen est, qui hoc quoque dicat, quòd aliquando ex illis fuerint exactæ & post factam exactionem denegatæ. Quinimò plerique omnes, qui de his fundis testificantur, dicunt se non scire aut vidisse, quòd inde fuerint exactæ seu petite, decimæ: ut mirum non sit, si nec illam solvi etiam intra triginta vel plures annos non viderint. Id quod contingit, ut diximus, non ex iure, sed materiæ defectu: quia scilicet in his fundis conclusi communiter nasci non soleant fructus decimabiles.

Vt autem immunitas à decimis præscriptione acquiratur, necessaria est contraria possessio; hoc est in proposito, petitio seu exactio, & ad illam denegatio decimarum; & post illam longissimi, imò immemorialis temporis cessatio ab exactione ac solutione decimarum ex eo ipso fundo, *cap. 1. de præscript. lib. 6. cap. Ad decimas* & *vers. spoliata in 6.*

& utrobique doct. l. ult. de usucap. l. si quisquam De divers. & tempor. præscript. Cum enim decimarum prædialium solutio sit ex præcepto divino, *cap. Parochianos, cap. Tua De decimis*; & mortaliter peccet, qui illas non solvit; nemo se potest ab illis eximere prætextu consuetudinis vel præscriptionis, nisi ea excedat hominum memoriæ, *Immo. me. fin. De paroch. seu ad Rub. De decimis & ibi Hostien. Franc. Balb. in tract. de præscript. in quinta parte princip. vers. Septimo igitur quæro, Stephan. Boissac. consil. 84. Decima ex præcepto vol. 7.* Cum enim decimæ debeantur in signum universalis dominij, non est ad excludendum illas in totum ab aliquo fundo admittenda, quantumvis longissima, si non est immemorialis, præscriptio, *Barol. Bald. & alij in l. Compertit Cod. de præscript. 30. vel 40. annor. ad hoc saltem, ut quamvis longissimo tempore non sint solutæ, & pro præterito tam longo tempore peti non possint; tamen pro futuro quandocumque possint, Item s. Bobic. in cap. Pervenit in fine De decimis.* Et quamvis aliqui ex dictis testibus audientius dicant, quòd hi duo fundi semper fuerint liberi à decimis; hoc tamen non expriment, id esse ratione immunitatis ipsorum fundorum, sed ex eo, quòd in illis non soleant nasci aut percipi fructus decimabiles, sed ejus generis fructus, ex quibus decima communiter Lovanij percipi, aut solvi non consueverit; quodque conductores, seu redemptores decimarum contentantes passim illarum exiguitatem, noluerint ex hortis conclusis percipere decimas; & nequidem ex fructibus decimabilibus. Qui con emptus seu negligentia hoc efficere non potuit, ut mutata forma seu facie fundi; hoc est conclusionem horti sublaræ, eoque ad speciem agri seminatorii redactæ; idem ager non sequatur communem aliorum agrorum conditionem, hoc est redigatur iterum in obligationem præstandi decimas, vel ut sublaræ jam causâ, cur decimæ prius non præstata, sed contempta seu neglecta fuerat, *cap. Cum cessante De appellat.* Cur enim id æquo animo non fereant possessores, quando sic mutatur faciès fundi, qui fructus non decimabiles producere coëssuevit, & redigitur ad culturam, ex qua nascuntur fructus decimis ex consuetudine subiecti? Non enim debet quisquam in alio desiderare, cujus contrarium vel postulaturs, vel in se admissurus non esset, *l. penult. C. De solut. l. si & rem & prædictum De petit. hæredit.*

Proinde nihil facit, quod Reus ulteriùs objicit, quòd in altero horum fundorum olim domus seu ædificium fuerit, ex quo nulla decima percipiebatur; ideoque nec nunc exigi possit, eadem domo insolentia militis prædiali destituta, & arcæ seu solo ad grum & culturam redacta. Nam jure aperto rescriptum est, *cap. commissum de decimis.* decimas præstandas esse etiam ex his fundis, in quibus aliquando domus fuerunt, simulatque ad culturam redacti fuerint. De quo cum tam apertus in jure extet textus, nulla amplius potest esse questio, *l. Ancilla cod. De fute.* In quo alioquin etiam versatur juris æquitas; ut quemadmodum per ædificationem in fundo prius decimabili ex voluntate possessoris, Ecclesiæ eripitur materia decimandi: ita sublaræ ædificio eadem restitua-

tur. Nam ut illo casu nulli sunt fructus qui decimantur, ita hoc casu, quia sunt decimabiles, debeat esse decimandi potestas, *Hosien. in d. cap. Commisum vers. quid de consuetudine, Bertran. consil. 228. Viso casu nu. 5. vol. 6.*

7. Sed nec hoc quicquam facit ad asserendam alterius huius fundi, in quo prædicta domus fuit, immunitatem; quod ille pertineat ad Capellam S. Catharinæ in dicta parochiali Ecclesia S. Quintini: nam etsi decimas personales clericis à clerico, locus religiosus ab alio loco religioso non rectè exigat, *cap. 2. de decimis*; prædiales tamen bono iure clericis à clerico petere potest: quia non præstantur à persona, sed ex rebus, seu prædijs ipsis; quæ cum suo onere, hoc est necessitate præstandi decimas censentur transisse in patrimonium Ecclesiæ, *cap. Suggestum. cap. Ex parte. cap. Nuper de decimis*; etiam si fundus prius decimabilis Ecclesiæ pro dote sit assignatus, *Glof. in cap. 1. in verb. nullo servitio de censib. Panorm. in d. cap. 2. De decim. nu. 6. vers. Unde veniendo, & in d. cap. Nuper nu. 1. Zabarel. consil. 88. Consultus ego nu. 4. & 5.* De quo in proposito minus est dubitandum ex eo, quod hos duos fundos dictæ Capellaniæ Rector, ipse proprijs suis manibus seu sumptibus non excoluerit; quo casu facilis per clericum contra clericum prætendi posset immunitas à decimis, *d. cap. Suggestum. cap. Ex parte de decimis. can. Quæsti. xvi. quæst. 1.* sed alij, hoc est Reo huius causæ excolendos sub annua pensione tradiderit: quo casu clerici, qui ex privilegio immunitatem à præstatione decimarum habent, non possunt suos colonos immunes à decimis præstare, *cap. Licet de decimis. can. Quæsti. can. Decimas xvi. quæst. 1. Zabarella d. nu. 4.*

8. Et ut nihil intentatum relinquat Reus obijcit tandem transactionem quandam inter Ecclesiam Sancti Petri, & Magistratum Oppidi Lovanienfis, super perceptione decimarum; per quam plurimos fundos à præstatione decimarum prætendit esse factos immunes; dubium autem non sit, quin super decimis transactio seu compositio, etiam sine auctoritate superioris fieri possit, *cap. Ex multis in fine. cap. Suggestum & ibi Panorm. de decimis.* Ceterum de illa transactione nihil in hac causa probatum invenitur; præterquam quod aliquot testes dicant se id audisse ex alijs; quidam quod Lovaniæ de illa fama fuerit publica. Verum huiusmodi informe testimonium de auditu alieno, etiam in antiquis, nullum gradum probationis facit; tunc præsertim, cum testis non hoc quoque addit, à quo seu ex quibus audiverit: & potissimum cum testes sunt homines vulgares, minimeque graves, *l. Si arbiter de probat. cap. Licet ex quadam de testib. Franc. Curtius Junior consil. 17. Licet per celeberrimos*; quales sunt omnes, qui in hac causa producti sunt. Et qui de fama deponit unus tantum est, & ideo fidem non meretur, *l. Iurifurandi cod. de testib. ut nec plures, si eodem modo informiter de fama deponent, nihil dicendo de illius origine, nec de alijs circumstantijs, quæ ad probandam famam concurrere debent, & sunt necessaræ, Bartol. in l. De minore §. tormenta vers. plurimum nu. 14. & seq. de quæstionib.*

9. Deinde sic de illa transactione proponit Reus, ut exinde Actorum intentio quoad eorum jus uni-

versale decimandi, magis confirmetur quam infirmetur aut diminuatur. Proponit enim Reus illam transactionem decimam esse, qui fundi à decimarum præstatione debeant esse liberi seu excepti; non è diverso, quod universum jus decimandi fuerit sublatum, exceptis certis fundis, qui decimationi subiecti manerent. Ita ut velut pro regula per dictam transactionem (si verè ita ut dictus Reus proponit inita fuisset) decimam dici deberet, jus decimandi in universum seu generaliter pertinere ad dictæ Ecclesiæ Canonicos; & ab ea dumtaxat exemptos seu exceptos esse eos, qui in dicta transactione nominatim comprehensi sunt, ne ex illis decimæ exigenterent. * Sic ut virtute huiusmodi exceptionis quotquot ita nominatim excepti non sunt fundi in hoc Oppido Lovanienfi, censeri debeant relictæ in & sub onere decimationis, *Bart. in l. Quæstum §. denique Neratius de fundo in fruct. decimæ & alij m. l. 1. de reg. iur.* Nec sane verosimile est hos duos fundos inter exceptos nominatim comprehensos fuisse: ob id, quod ab antiquo fuerint partim adificijs occupati; partim horti hortorij, ex quibus per consuetudinem immemorabilem decimæ nec exigi nec solvi solebant; non quia funt hi decimationi subiecti non erant, sed quia decimabiles fructus ex illis non percipiebantur.

Nec ad hanc rem quicquam contra Actores facit, quod Reus ulterius proponit; quod olim sequendo dictam transactionem duo fuerint confecti libri. in quibus descripti fuerint fundi, ex quibus Actoribus decimæ solvi non consueverunt: quorum alter dictæ Ecclesiæ, alter Magistratui relictus sit. Nam nec hoc sufficienter probatum est: cum unus tantum testis sit, qui dicit se in manibus habuisse, vidisse, & legisse antiquum quandam libellum papiraceum, in quo descripti erant fundi, non tantum qui Actoribus decimas non solvebant, quod Reus solum proponit, sed etiam (quod Reus non allegat) illi, qui solvebant: quod verosimilitudinem nullam habet in tanta multitudine fidorum, qui intra muros Oppidi Lovanienfis sitii sunt, & per minutas particulas inter tam multos divisi, in finitima contineret huiusmodi fidorum specificationem, quæ libello aliquo, in d. vix magno volumine, contineri non posset. Cum aliqui hic testis, dum hæc deponit, aperte dicat se nescire quando, & quo loco hunc librum viderit vel legerit: ita ut ex hoc testimonio nihil altrui possit. * Qui enim in testem producit super contentis alicujus instrumenti, quod non profertur, sed deperditum aut non reperibile dicitur, ut fidem faciat, debet totum instrumenti tenorem recitare, & pertinenter declarare, quid in eo continebatur, *cap. Cum olim l. De privil. Bart. in l. 1. nu. 25. Si cert. per. Franc. Curtius d. consil. 17. nu. 4* de quo toto tenore, etiam si testis hic apertus testificaretur, nihil illius testimonio tribuendum esset, propter ejus singularitatem, *d. l. Iurifurandi. cap. Veniens in fine de testib.* cum in hoc articulo jus pluralitatem testimonium requirat, *d. cap. Cum olim.*

Sunt quidem aliquot præterea testes, qui de hoc libro, ut & de dicta transactione, dici se audisse dicunt; sed nemo addit à quo, seu quibus: præter

præter unum, qui dicit se id audivisse ex Augustino Vranæ; cuius unius testimonio, si in hoc casu ipse prædictus esset, nulla fides adhiberi posset, non tantum ex eo, quod unus foret, cap. *Licet ex quadam de testib.* sed ex eo quoque, quod suspectus esset, & eodem morbo, quo Reus laboraret: quia scilicet consimilem causam, pro simili immunitate cuiusdam sui fundi adversus Actores coram Domino Officiali sustineat; iisdemque defensionibus se tueatur in illa, quibus Reus in hac, ideoque in hac causa contra Actores extra causam si dem posuit sit, cap. *Personas De testib.* cap. *Causam qua De iudic.* ut ex istis illius causis, quæ nunc etiam sub incertis sententiis posita sunt, manifestè constare potest. De quo tandem sublata est omnis dubitatio & difficultas per hoc, quod Actor sub finem causæ & post recepta testimonia, libellum quandam pro antiquo huiusmodi registro exhibuit; ex quo Reus persuadeat sibi prædictam transactionem & immunitatem fundorum probari. Nam præsupposita etiam dicti libelli per omnia veritate, nihil aliud inde inferri posset, quam quosdam fundos in Oppido Lovaniensi non tam à decimis præstariis fuisse immunes & liberos, quam quod multi illorum possesores noluerint, aut detrectaverint decimasolvere; & quod pro his ad tollendum hanc difficultatem Magistratus loco decimarum non in omnibus, sed in illis specificatis fundis constituerint dictam Ecclesiam annuum redditum triginta unius Riderorum. * Quo pro verò præsupposito, hoc primum consequitur, hanc transactionem non omnino generalem seu universalem fuisse, de & super universis & quibuscumque dictæ Ecclesiæ decimationis ejusdem Ecclesiæ (cujus generis super decimis non præteritis, sed futuris, transactio sine superioris auctoritate, & non adhibitis à jure requisitis solemnitatibus, non fuisset permissa, cap. *Statuimus*, cap. *Veniens De transact.*) sed omnino particularem, & restrictam ad certos in specie, adeoque in individuo nominatos fundos; extra quos qui sunt, ex ratione & virtute exceptionis, indubitatum est, nullam ex hac qualicumque transactione consecutos esse immunitatem, l. *Ob qua rita §. 1. De adilit. editio d. l. Quasitum §. denique, l. Tributus §. fin. De milit. testam.* Hujus itaque libelli seu registri exhibitio & dictæ transactionis allegatio Reo exhibenti nullam rationem prodesse potest: ex quo non demonstrat, imò nec allegat, hos duos per se cultos fundos esse in nullo mero fundorum, qui dicto libello continentur. * Quinto ex lectione & designatione fundorum ad directam plateam S. Quintini sitorum (circa quam plateam siti sunt hi fundi) manifestè constat, neutrum ex his duobus fundis inter illos esse; & nec fuisse demonstrat prior illorum qualitas per Reum etiam allegata; quod scilicet in altero illorum ultra hominum memoriam fuerit domus seu edificium; atque ita ad fructus ex consuetudine decimabiles minimè dispositum seu qualificatum; etiam si edificium hortus aliquis adjunctus fuerit, qui cum accessu edificij sit, vrbani, non rustici prædij significatione seu appellatione contineri censetur,

l. *Vrbana prædia vers. proinde hortos De verb. signif.*

Deinde hoc in diligenti animadversione habendum est, quod dictus libellus seu registrum dispositivè & formaliter lequatur dumtaxat de vineis, & decima vini; & minimè de alterius generis seu qualitatibus fundis; non de agris, non de pascuis seu pratis; non de perariis, aut aliter ad fructus decimabiles ferentibus conditionatis. Quia quod tam specialiter de vineis & vini decimis conventum transactum quæ forte fuit, nullam rationem pertinere vel extendi potest ad alterius generis fundos, & decimas. Ut evidens sit ratio, cur plus vineis, quam alijs fundis tribuatur: mirum quod vinearum cultura sit & difficilior & sumptuosior, & minus in redditu annuo lucrosa. Vnde istud, quod in novem agrorum discriminibus, quos quidam rustici scribunt, constituunt, deteriore loco collocent vineas, quod illius sumptus fructum plerumque decorent, M. Varro de re rust. lib. 1. cap. 8. ideoque cultores illius, officio magis ad culturam sint provocandi, quam enere graviore imposto avertendi. Quæ etiam causa est, quod Lovanij quæ aliarum specierum ex jure communi est decima, & ex consuetudine undecima, vini sit tantum vice versa. Quod inde etiam percipitur, quod fundi vitæati plerique emres, qui in dicto libello continentur, horti magis quam vineæ sint; in locis non apertis, sed muris & adificijs conclusis, ad quos decimatores ita admittere durius videtur: cum huiusmodi vineæ non tam in redditu, quam pro voluntate patrisfamilias urbana magis, quam rustica prædia sint, d. l. *Vrbana prædia vers. plane si plurimum*; ut mirum videri non possit, si Magistratus pro redemptione hujus generis decimandi ad hanc transactionem dictam Ecclesiam pertraxerit. Cum aliqui præstatio annua horum Riderorum non tantum videatur esse pro hac specie exemplarum vinearum in munitione; sed etiam propter novas fossas, & nova exteriora mœnia Oppidi Lovaniensis; quæ illo tempore, vel non diu ante facta videntur; ipsi potissimum locis, quibus frequentiores vineæ, seu vineæ erant; ad occidentalem scilicet plagam. Nam in dicto libello invenitur annotatum, quod præter fossas & mœnia cetera perierint bene ducenta iugera terræ: ut mirum non sit, si pro compensatione hic annuus redditus ita fuerit constitutus. Cum aliqui dictus libellus nihil dispositivè contineat, sed dumtaxat videatur esse conceptus futura transactionis velut præcedens quidam tractatus, nihil enim id ad hoc concludens: ut multa sæpe tractantur & accipiuntur, quæ ad extremam manum & perfectionem non perducuntur, l. *Si voluntate C. de res. vind. l. Si vendit §. dictum De adilit. editio.* Sed ut ut sit: hoc inter m. inculcandum dicimus, Actoribus satis esse, quod Reus non probet horum duorum fundorum, vel speciem immunitatem in individuo; vel generalem ex aliqua universitate aliquorum fundorum in aliqua hujus Oppidi plaga vel regione immunitatè à decimis habentium. Quæ cuncta sint, frustra per Reum proponitur, quod Actores dictam transactionem accipiant à Magistratu triginta & unum aureos Rideros: nam & id negatum ab Actoribus

Actibus, pro parte Rej sufficienter probatum non est. Nemo enim ex testibus super eo productis aliud dicit, quam quod nihil fiat, nisi ex audiri dici. Vnus dicit quod ex causa illius transactionis Receptor Actuum triginta octo florenos & quindecim stueros: Alter quod in registris Oppidi Lovaniensis legerit, scriptis dictis Actibus factam esse dictorum Riderorum solutionem ex causa dictae transactionis; sed huic alteri qui est M. Ioannes D. fides adhibenda non est; propterea quod similem omnino causam & ipse pro immunitate sui fundi adversus Actores habeat, d. cap. Personae: & neutri illorum, quia in suis testimoniis sunt singulares; quod evidentius est, quam ut demonstrari debeat: quamvis alioqui praesupposita obligatione ad dictos Rideros, & solutione eorundem, nullo modo constet de tenore huiusmodi transactionis. Prout etiam Actores fatentur obligationem huiusmodi Riderorum, sed non ex causa, quam Reus praetexit, & quam oportuisset illum in specie probare. Nec est verosimile, quod Actorum praedecessores ex tam exigua annua pensione voluissent renuntiare juri decimarum in tot fundis, quot testes in hac causa non satis concludenter & pertinenter deponunt à decimis esse immunes.

15 Progreditur Reus adhuc; & ad probandum hanc, quam praetexit, decimarum immunitatem, aut saltem restrictionem usum juris decimandi, quod actores pretendunt, in medium profert quandam Antonij Ducis Brabantiae (ut vocat) constitutionem de anno 1412. per quam dicto Capitulo S. Petri praecipitur, ne decimas ultra antiquum usum exigat. De veritate & fide cuius constitutionis in primis sufficienter non constat: ob id, quod originale seu authenticum illius nullum proferatur exemplum; sed descripta tantum copia, quae nullo modo fidem probationis facit, cap. 1. de fide instrum. l. 2. d. 204. Verum quidem est, hanc copiam descriptam esse per Secretarium Oppidi Lovaniensis, & ex parte Actuum declaratum, quod huic copiae stet perinde, ac si ex eo commissione iudicis descripta esset: verum huiusmodi declaratio non habet vim plenae & absolute confessionis de veritate dictae constitutionis; sed dumtaxat de veritate facti, quod Secretarius huiusmodi copiam descripsit, at unde descripsit, & quale instrumentum fuerit, an publicum an privatum, unde descriptio facta est, per dictos Actores non tantum recognitum non est, sed praeterea aperte declaratum, quod huiusmodi copiae non aliter stare intendant, quam de jure tenentur. Iam vero ut exemplato instrumento fides per exemplationem adhibeatur, necessarium est illud auctoritate iudicis describi, & exemplari ex ipso originali seu authentico instrumento; sic ut nulla ratione sufficiat id quacumque etiam auctoritate & solemnitate describi ex aliqua ejusdem originalis seu authentici etiam authentica, multo minus privata aliqua copia, cap. fin. de fide instrum. cap. Cum dilecta de consuet. utili vel inutili, Bald. in l. In bona fidei vers. dubitatur de exemplo c. od. de reb. credit. & iureiur. Decus in Auth. Si quis in aliquo nu. 3. c. de edend. Molin. ad consuet. Paris. tit. 1. §. 5. nu. 24. Cum igitur Secretarius, qui hanc copiam exempla-

vit, attestetur se illam descripsisse ex alio registro, hoc est descripto, quod non potest esse nisi nuda copia; non potest etiam hoc descriptum exemplum pro alio, quam pro nuda copia, & sic sine fide probationis haberi.

Verum ut paulo plus Reo in adstruenda fide huius copiae attribatur, & dicta copia pro authentica reputetur, nihilo magis potest Reo patrocinari dicti Antonij Ducis hac asserta constitutio: quia vim & effectum perpetuae constitutionis seu ordinationis minime habeat; sed reputari debeat dumtaxat pro temporali interdicto; ad exemplum praeiuncti interdicti *Vi possidetis*, l. 1. §. inter litigatores cum §. seq. d. *Vi possidetis*, quo Antonius Dux illo tempore, auditis verosimiliter utriusque partis querelis ordinavit, ut in qua quisque tunc erat possessione, sive percipendi decimas ex parte Capituli, sine immunitatis ab illarum praestatione, ex parte illorum, qui fundos possidebant, in ea quisque permaneret. Cujus interdicti vis, sic utriusque parti illo tempore facti, jam multis, imò plurimis, & quidem fere ducentis annis, evanuit: proinde ejus generis edicta non perpetua sed temporalia fere sunt, l. 1. in fine & ibi Gloss. de interdict. Praesupposito interim, quod huiusmodi ordinatio, perpetuitatis in futurum quodcumque tempus effectum habeat; nihilo magis Reo in hac causa prodesset: ex quo Reus non probat, imò nec allegat, horum duorum fundorum possessores tempore dictae constitutionis fuisse in quasi possessione istius libertatis non solvendi inde decimas: cum ne id quidem probet hos fundos culturae praediali tunc fuisse subiectos; quos è contrà constat fuisse aedificiis occupatos, & hortos, in quibus libertas seu immunitas à praedialibus decimis proprie constitui non potest; ac proinde nec illius aliqua quasi possessio imaginatione aliqua concipi. Ita ut nihil adversus veterem possessionem fieri dici possit, si decimae petantur ex his fundis, ex illo tempore, quo decimationi subiecti esse ceperunt & fructus decimabiles proferre, hoc est ex aedificiis facti sunt agri, d. cap. Commissum de decimis: quae mutatio & transformatio, ut non repugnat dictae constitutioni, ita nec illius effectum alterat. Neque enim hoc ullo modo ferendum esset, si Reus sic ad literam accipere vellet istam constitutionem; quasi agrorum seu fundorum facies, quae illo tempore erat, mutari non posset, vel ad illum effectum, ut fundus, qui prius decimationi expositus & subiectus erat, transformari non posset in aedificium vel aliam formam, l. alius c. de servit. & aqua, propter quam decimarum praestatio impediretur; & ex adverso, qui decimationi expositus non erat, ex illius conditione & cultura mutata, non posset fieri decimabilis. Vltus enim temporis quotidianus, ut supra dictum est, demonstrat contrarium: & quidem cum majore dicti Capituli detrimento, cum proclivior sit occasio ex agro facere pomarium, seminarium, aut horticolum hortum: ex quo secundum consuetudinem Lovanij vigentem decimae nullae solvuntur: quod tamen aequo animo Capitulum ferre debet, ut merito pari & contraria ratione illi sit permittendum, decimas percipere ex agro redacto ad id genus culturae, unde

decimae

decimæ ex consuetudine percipi possunt. Quod sanè longè distat à libertate & immunitate à decimis, cùm consistat & positum id sit in defectu materiz non juris. Contra dictam Antonij Ducis constitutionem videri posset fieri, si Capitulum ex fundo, qui decimabiles fructus ferre consuevit, contra antiquam & præscriptam consuetudinem peteret decimas: quod dici non potest, quando decimæ petuntur ex fundo, qui prius decimabiles fructus ferre non consuevit.

16 Longè minus tribuendum est alteri (ut Reus nihil non coacervat) constitutioni Caroli Quinti Imperatoris; quâ Ecclesiasticis interdicitur, ne aliquo modo in Ducatu Brabantiz novas aliquas decimas exigant: cùm id Actores ex his duobus fundis minime faciant; sed petant dumtaxat decimam vulgariū fructuum, decimationi ab omni ævo semper subiectorum; ut Reus ipse satis fatetur; saltem non allegat in hac causa à se peti aliquam decimam de aliqua frugum specie, de qua non fuerint solitæ & consuetæ semper solvi decimæ. Hæc itaque Imperatoris constitutio nihil pertinet ad qualitatem aut conditionem fundorum; nihil etiam ad libertatem aut obligationem decimarum, quæ suo loco & juris dispositioni relinquuntur: sed dumtaxat ad species frugum, ut nullæ amodò decimentur, nisi quæ decimari solent; ad derogationem juris communis, quo de omni frugum genere, etiam de holeribus, æneto, menta, decima scrupulosè solvi debet, *cap. Peruenit, c. Nuntius De decimis*. Quosensu & intellectu dicta Imperialis constitutio rationabilis videri potest, dominic. à Soto *De iust. & iure quæst. 4. art. 2. vers. ad primum*: quæ ad alium sensum detorta, prorsus esset iniqua, & Ecclesiasticæ libertati contraria, & sic omnino cassa, & irrita, *Authent. Cassa cod. De sacros. Eccles.* Nihil itaque in ingenti illorum, quæ Advocatus Rei accumulatur, acervo conspicitur, unde Reus hujus causæ dictis duobus fundis possit concludenter asserere immunitatem seu libertatem à præstatione solitarum & consuetarum decimarum. Et cùm hanc immunitatem Reus in specie non ostendat, consequitur, ex clara & liquida juris apertissimi dispositione, in *cap. A nobis in fine de decimis*; quod dicti duo fundi dictæ decimationi sint, & maneat subiecti, recedente ex illis per Actores in hac causa decimæ petantur.

Illud multum extra propositum est, quod Reus objicit de defectu congruæ portionis Ecclesiæ S. Quintini; & quod Pastoribus de jure competant decimæ: nam cessat juris communis, *cap. cum contingat De decimis*, ratio, ubi ex privilegio alteri etiam in alterius Parochiâ competit jus decimandi, *Dact. in d. cap. Cum contingat*; ut in proposito constat illas in hoc Oppido Lovaniensi Actoribus competere, ex dicta Principum donatione & concessione; per quam juris communis dispositioni detrahitur. * Sanè si Rei Advocatus eo consilio id allegat, ut saltem jure novalium ex suis fundis ad aliud genus culturæ redactis, non Actoribus, sed Pastori inferat inde deberi decimas, etiam si alij ex privilegio vel præscriptione decimæ generaliter debeantur, *cap. Ad audientiam cap. Tria 1. §. 1. De decimis, cap. 2. cod. tit. lib. 6.* multum fallitur.

Neque enim eorundem fundorum alia cultura facit eos novales; ex quo prius culti fuerunt, licet non per fructus decimabiles; ut puta per vineas, holera & alia similia: quæ non patiuntur hos fundos jure novalium censeri, *cap. Quid per novale De verb. signif. d. cap. commissum*. Sed hæc quæstio, ut & illa de congrua portione, in hac re omnino impertinens est: cùm sit exceptio de jure tertij, quæ excipienti prodesse non debet: de suo enim quisque, non de alieno jure agere & excipere debet. Et si Pastori quid deesset, id suo jure petere possit; sed non proinde Reo patrocinari, ut decimas non præstet: quas nec dicto Pastori deberi fatetur, dum præfractæ sustinet nulli eas deberi ex præsentia fundorum suorum immunitate. Cùm alioqui novalium cõsideratio in proposito magis suffragari debeat Actoribus; ob id, quod Lovaniū unicum dumtaxat sit decimagium; non tot, quot sunt parochiæ: nam ab unica Parochiâ S. Petri, velut coloniæ derivatæ sunt aliæ; propter multitudinem parochianorum, & faciliorem administrationem Sacramentorum; ut plerumque crescente multitudine populi fieri solet, *cap. Ad audientiam 1. De Ecclesiis adific.* Ex qua multiplicatione parochianorum nulla competitur facta divisio aut separatio decimarum; sed illæ in universum sunt relictæ Ecclesiæ S. Petri ut matri; aliunde harum novarum parochiarum parochis assignatâ congruâ portione. Quod fit, ut si quæ novales decimæ in quacunque parte Oppidi Lovaniensis superveniunt, etiam ex juris communis dispositione applicari debeant matri huic, ut propriæ Ecclesiæ: cùm ex donatione præfatorum Ducum, non tam datæ & concessæ, quàm restitutæ fuerint decimæ illis semel ante constitutionem Lateranensis Concilij ablata, *d. c. Cum contingat d. c. De decimis*: aliter quàm si donatæ essent, quibus ex jure communi decimæ non debentur, *c. ult. §. ult. de decimis lib. 6.* Ita ut frustra de novalibus quaratur, quas constat ad matricem Ecclesiam pertinere, etiam in omnem eventum. Sic ut omnibus ritè expensis, nihil solidi occurrat, quod Actorum sic benè fundatam intentionem possit perimere: ideoque Venerabilis Domini Iudicis partes sint, ut Reum secundum conclusionem Actorum per omnia condemnet.

De Decimis.

S V M M A R I V M
Decimarum immunitas.

1. Testimonij non credi.
2. Decima ab omnibus præstande.
3. Decimarum immunitas stricta est.
4. Præscriptio contra decimas rarissima.
5. Partia esse non allegare, & allegatum non probare.

CONSILIVM CCCCXLIII.

Q V O D jus universale seu generale percipiendi decimas ex frugibus intra muros Oppidi Lovaniensis natis & perceptis, pertineat ad collegiatam Ecclesiam Sancti Petri Oppidi Lovaniensis, cujus Decanus & Capitulum in hac causa adversus M. Ioannem Dinchebroeck Reum agunt; constat ex legitimo, antiquo, fide digno instrumento in hac